



Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III

Cunæus, Petrus

Lvgd. Batavor., 1632

Cap. XXIII. De Iudæis, qui extra Palæstinam in aliis regnis habitavere. Gentium plurium migrationes, & voluntaria exilia. De Iudæis Asiaticis, deque Babyloniensibus, tum de Aegyptiis & Alexandrinis. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65527)

& Persas quoque, id quod Xenophon in octavo Pædiæ ait, ad horum se imitationem composuisse: sed ii' populi, quoniam hercle ad mundi teporem jacebant, evirati ipso terræ celo & solo erant. Quare infamis eorum molli- ties apud cæteros fuit, & posita in vi- tio semper est.

C A P V T XXIII.

De Iudæis, qui extra Palaestinam in aliis regnis habitavere. Gentium plurimum migrationes, & voluntaria exilia. De Iudæis Asiaticis, deque Babylonien- sibus, tum de Aegyptiis & Alexandri- nis. Pecunia ab illis Ierosolymam mis- sa. Quanta opes in sepulcro Davidis. Darius à Semiramide elusus. Iudæo- rum Hellenistarum, & Palaestinorum infensa æmulatio. Quo jure, quaque conditione apud Romanos Iudæi fue- rint post eversam sacram urbem. De polygamia.

MArcus Annæus Seneca in consola- tione, quam ad Helviam scripsit, populos quosdam enumerat, qui pa- trio solo relicto sedes suas commuta- rint, & transtulerint domicilia. Nam & in mediis barbarorum regionibus Græcas urbes esse, & inter Indos Per- sasque Macedonicum audiri sermo- nem,

nem, tum civitates Achaia Ponticis esse impositas litoribus, & Tyrios in Africa habitare, Pœnos Hispaniam incolere ait. Quæ quidem omnia ille nihil aliud nisi publica exilia vocat, in quæ alios domestica seditio, alios ex-cidium urbium suarum, quosdam mi-grandi libido, alios alia causa emisit. Sed profecto hujus rei nusquam illu-strius documentum est, quam in Iu-dæis, qui per Ægyptum, Græciamque, perque omnem Asiam & Africam late sedes suas procul à Palæstina posuere, & res illic amplas, uberesque habue-runt: regum autem principumque tantis affecti beneficiis sunt, ut inter exteros vitam exigere, quam in patriæ beato solo religiones, templumque venerari ex propinquo mallent. Atque Asiaticorum quidem dignissimi, nobi-ssimique erant Babylonenses, de qui-bus in libro primo, in cap. viii dixi-mus. Inter Hellenistas autem quos non Ægyptus duntaxat, sed omnis Græcia acceperat, primatum quen-dam Alexandrini tenebant. Vtique Ptolemæus Lagi filius, cum Iudæorum fidem & virtutem summam perspexisset, omnia Ægypti propugnacula & præsidia ipsis commisit: &, ut Cyre-nam cæterasque Libyæ urbes firma di-tione

tionem teneret, multas eorum colonias in ea loca deduxit. Mox Philadelphus adeo deditus Iudæis fuit, qui sub imperio ipsius erant, ut leges eorum, & sacratissima jura verti Græce, atque in omnium esse manibus voluerit. Postremo Philometor, & uxor ejus Cleopatra curam tutelamque totius regni Ægyptiensibus his Iudæis dedere: copiisque illis, ex quibus rerum momenta pendebant, Dositheim & Oniam, homines itidem Iudæos, præfecere. Libertate autem omnes in illis ipsis sedibus tanta usi sunt, ut templum quoque in Heliopolitana præfectura habuerint, quod magna religione adirent. Neque fuit id profecto tumultuarium opus, quod casus, aut desperata exulum temeritas excitaverat. nam & Ptolemæi regis permisso constructum erat, & per annos trecentos ac quadraginta incolome stetit: ac tandem vero sub Vespasiano demum clausum prophanatumque est. Mansit tamen inhæsitque tam Hellenistis profecto & Ægyptiensibus, quam cæteris omnibus, qui extra Palæstinam degebant, amor affectusque in ædem Hierosolymitanam. Quippe pecuniæ ab illis statotempore illuc mittebantur: & donaria eorum amplissima erant. Recitat

tat Flavius Iosephus ¹ literas Octavii
 Augusti, Agrippæque, & Norbani
 Flacci, atque Iulii Antonii ad Cyre-
 nenses, Ephesios, Sardos, atque ad alios
 missas, in quibus scriptum erat, ne Iu-
 dæi, qui apud illos habitabant, dona
 pecuniasque in usum templi & sacro-
 rum mittere Ierosolymam prohibe-
 rentur. Sanè quidem ii, quos Mesopo-
 tamia & Babylonia acceperat, urbes
 duas natura pariter atque opere mu-
 nitissimas, Neerdam & Nisibin, ha-
 buère, in quibus, tanquam in ærario
 quodam, siti omnes thesauri erant,
 quos in Palæstinam identidem, cum
 tempus esset, infinita hominum mul-
 tudo devehebat, ne formidandæ
 Parthorum rapinæ forent. Et fuit
 tunc profectò in summum culmen
 everta Ierosolymitanorum opulentia,
 cum ad eos tanta vis auri à populari-
 bus mitteretur, qui variis locis sparsi
 sedes incolebant disjunctissimas. Quã-
 quam & antea mirum in modum am-
 plæ eorundem divitiæ erant, antequam
 Israëlitiæ decem tribus per discor-
 dias civiles secessionem à Iudæis fecis-
 sent. Davidem quidem gazas incre-
 dibiles possedisse constat, nemo ut re-
 gum

¹ In lib. 16. Antiq. cap. 10.

gum Hebræorum, exterorumve con-
 ferri cum illo potuerit. Quare etiam
 sepulchrum ejus, ossaque, & cineres fi-
 lius superstes circumfluere opibus vo-
 luit, quæ in cellulis pluribus erant re-
 conditæ. Earum autem quæ summa
 fuerit, facile divinabit, qui cogitaverit,
 Hyrcanum post mille & trecentos an-
 nos, cum ab Antiocho Pio esset obfes-
 sus, conditorium illud adiisse, atque ex
 illo ter millena talenta exemisse. ac
 rursus; multo tempore interjecto, He-
 roden, cum alias cellulas recluderet,
 reperisse illic quantum satis erat maxi-
 mis impensis faciundis. Iusserat haud
 dubiè divitias eas summus rex recon-
 di illic secum, ut velut inaccesæ, & lo-
 ci religione tutæ essent. Hac enim cau-
 sa permotos etiam alios sæpe fuisse,
 idem ut facerent, proditum memoriæ
 est. & Darius verò risum, jocumque
 omnibus excitavit, cum Semiramidis
 monumentum intraret, cujus inscrip-
 tio ingentes thesauros promittebat,
 cum nihil intus, nisi tabella esset, quæ
 homini sacrilego malam rem preca-
 batur, propterea quòd mortuorum
 loculos temeravisset execrando scele-
 re. Sed enim verò de opibus sacri po-
 puli dicebamus, quæ ante tribuum
 asportationem Ierosolymæ erant. Ex
 autem,

autem, quum Davidis tempore admodum ingentes essent, longè majores tamen sub Salomone, qui huic successit, fuerunt. Advexit enim ei tertius quisque annus quæ in Oriente pretiosissima erant, & principum, qui prope habitabant, liberalitas potentiam augebat sapientissimi regis. Quare Flavii Iosephus rotundo ore illud effatur, quod sæpe mirati fuimus, ὅτι ἔδωκε τὸν ἐποίησε πλῆθ' ἐν Ἱερουσαλὺμιν ὁ βασιλεὺς, ὅσον ἴσθητων. effecisse regem, uti tantum pecunia in urbe Ierosolyma esset, quantum erat lapidum. Quæ profectò ejusmodi sunt, ut jam venisse ad summum fortunæ rex ille videretur. Non sinit nos incepti lex pluribus hæc exequi. Redundum enim ad illos Iudæos est, quos sub exteris regibus vixisse diximus. Horum porrò non unum genus fuit, neque de omnibus similiter existimandum est. Nam Babylonenses quidem nihil præter jus fasque fecere, cum extra terram sanctam habitarent. idque singulare privilegium fuit. de quo antè diximus. At verò qui ante transportationem gentis Iudaicæ, aut post eam Palæstinorum sedes reliquerent, ut alias terras, quæ in vicino erant, incolerent, eorum infamia posteris

tra-

tradita est, iudicatumque ab omnibus fuit, esse eos terræ sanctæ contemptores. Recitant Talmudici severissima numinis edicta, queis cautum fuit, ne Iudæus quispiam migrandi libidine patrium solum verteret. Estque eorum scitum quoddam huiusmodi, *כל הדר בחוצה לארץ כאילו עובר עכו"ם*
Qui peregre extra terram sanctam degit, velut syderum planetarumque cultor habendus est. Atque ejus rei fidem faciunt ex dicto Davidis ad Saulem, quod ita relatum à Samuele est: *Si te homines incitaverunt contra me, maledicti sint coram Iehova. quippe expellunt me hodie, ne pars mihi sit in ea terra, quæ hæreditas Iehova est, dicuntque, Abi, cole deos alienos.* Vna modò causa fuit, quæ migrantes gravi culpa liberaret. Ea autem vis major erat: cuiusmodi est fames, sterilitasque, atque alia id genus, quæ in iram numinis, velut ultima malorum, vertunt. Non prætereundum est, quod in Halacha Melachim, in capite quinto, eruditissimus Maimonides prodit. Etenim postquam quosdam huiusmodi atroces casus exposuit, ob quos Iudæis fas interdum fuerit domicilia in exteris regnis ponere, solam Aegyptum excipit, quam ne quis habitandi animo adiret, tribus interdictis vetitum esse à nu-

à numine ait. Nulla necessitas, neque
 occasio aut causa ulla excusare quen-
 quam potuit. Supervacuum foret te-
 stimonia recitare. penes autorem fi-
 des esto. Rationem quidem ipse ad-
 fert, quæ in promptu maximè fuit,
 מפני שמעשיה מקולקלים יותר מכל הארצות
 quoniam facta ejus gentis deteriora, quàm
 aliarum gentium, sunt. Addit Rabbi
 Maimonides, quod singulare est,
 etiam Alexandriam summa interdicti esse comprehen-
 sam. Enimverò quoniam Aegyptien-
 sium Iudæorum nobilissimi florentis-
 simique erant, qui Alexandriam inco-
 lebant, meritò hos quoque in ordinem
 cum cæteris cogit eruditissimus scri-
 ptor. pariter enim contra legis præ-
 scriptum fecerant. Hi autem illi sunt,
 quos Alexandri humanitas volentes
 & sponte procul ab Hierosolymâ ab-
 duxit, & cum parte Macedonum in ea
 urbe locavit, quam de nomine suo
 condebat rex ille. Mox etiam ingens
 turba illuc per Syriæ motus exunda-
 vit. ac tandem non pauciores Ptole-
 mæum Lagi filium comitati sunt, in-
 ter quos summus quoque Pontifex E-
 zechias fuit. Ita per omnem Aegyptum
 latè sedes suas posuère. Venerunt qui-
 dem illi Hierosolymam quotannis, aut
 P mit-

mittebant eò quosdam ad solennia festa: sed in contemptu apud Palæstinos erant, & desertores habiti sunt. Utique donaria, quæ in usum templi & sacrorum afferebant, magna ac pene immensa erant. Sed tamen efficere ea res non potuit, uti communes cum illis habere synagogas cæteri vellent. Auxit odii causas patriæ linguæ neglectus, quam plerique ne intelligebant quidem. Quare Hellenistæ dicti sunt, tam qui Aegyptum incolebant, quàm qui ab illis profecti, Græciam & vicina tenuère. quippe propagati ab Aegyptiis fermè cæteri erant. Horum nihil dici de Babylonensibus potest, quos Palæstini, tanquam fratres germanos, atque ut incorruptam majorum suorum sobolem summo in honore habuerunt. Quanquam tamen illud hercle omnino in omnibus ludæis, qui extra Palæstinam habitarunt, peræque laudandum est, quod patriæ instituta religiosissimè semper servaverunt inter prophanas gentes. Non enim Babylonensium propria hæc gloria est, sed communis ea etiam illis fuit, qui Aegyptum jam tum ab Alexandri temporibus incoluère. Et mox verò ii ipsi, qui per Romanum orbem variis locis sub Cæsarum imperio vivebant,

vebant, in quadam accurata observa-
 tione earum legum, quas divinus Mo-
 ses præscripserat, perstiterunt. Quod
 profectò haud difficile illis fuit, quo-
 niam benigne, leniterque, atque ho-
 norifice habiti ab iis sunt, quorum re-
 cepti sedibus fuerunt. Cæterum post
 templi urbisque everfionem deterior
 longè conditio eorum apud exteros
 fuit, & privilegia eorum ubique mul-
 tifariam imminuta sunt. Vtique con-
 stituciones imperatoriæ in iis solis sine
 molestia eos esse jussere, per quæ cultus eo-
 rum inquinari videretur. l. 15. §. 6. ff. de
 Excusat. Cautum verò fuit, ne syna-
 gogas novas extruere, aut cruces in
 celebri festo Purim exurere ad pœnæ
 quondam recordationem possent. l.
 ult. C. de Iud. & Cæl. l. 11. C. eod. De-
 nique addita sanctio quoque est, ne
 morem suum in conjunctionibus retine-
 rent, neve juxta legem suam nuptias sor-
 tirentur, aut in diversa sub uno tempore
 conjugia convenirent. l. 7. C. eod. At-
 que ex hoc postremo colligitur her-
 cle, licuisse illis per legem antea plures
 simul fœminas in matrimonio habe-
 re. quod nos supra diximus, cum de
 Pontifice maximo ageremus, cui soli
 hoc interdictū fuisse Talmudici ajunt,
 quod cæteris jura permittebant. Sanè

cum ¹ Davidem regem summus Deus Nathanis voce affatur, esse illi datas à se ait Saulis conjuges. Et in Levitici capite xviii edictum numinis extat, quo Iudæi duas sorores eodem tempore habere uxores vetantur, non ob aliam causam profectò, quàm quòd ardentissima esse inter has æmulatione in tali conjunctione solet; cum ceteræ omnino, quæ ea consanguinitate non sunt, æquiore animo sub eodem marito ætatem unà agant. Scimus equidem primis humani generis parentibus jus planè contrarium fuisse latum, quod reduxit tandem, & ex integro nobis sanxit Deus Dominusque noster Messias: certum tamen est Iudæorum eam in republ. Mosaica libertatem ex legis permisso fuisse. Atque hunc quidem morem vetustissimum usitatissimumque Iudæi ii, qui nondum Messiaë reverentiam susceperant, diu sub principibus Romanis coluerunt: donec tandem Theodosius, Arcadiusque, & Honorius nihil discrepare hac re à Romanis eos voluerunt. qua tempestate etiam pleraque alia, quæ observata illis fuerant, exoleverunt. Ius quidem ipsum, quo deinceps

¹ In lib. 2. Sam. cap. 12.

Inceps usi sunt, commune cum Romanis fuit: adibantque solenni more iudicia, cunctasque Romanis legibus conferebant & excipiebant actiones, in his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & leges ac jura pertinerent. l. 8. C. de Ind. & Cæl. Quare obruta tunc sepultaque eorum libertas fuit, vix ut umbra ejus superesset. Nam quod communi pactione ad similitudinem arbitrorum litigare apud populares suos, & sortiri eorum iudicium jure publico poterant, d. l. 8. C. eod. sanè id oppidò exile est. quippe & in civili duntaxat negotio factum id fuit, & eorum sententiam iudices quidem, sed Romani, exequiebantur. d. l. 8. In ipsis tamen avitis sedibus illorum paulo plus privilegii fuisse illis concessum videtur. Etenim in l. 17. C. eod. imperatores Theodosius & Valentinianus quosdam Iudæorum primates fuisse significant, qui in utriusque Palestina synedriis dominabantur. Sed eorum potestatem jurisdictionemque pene in rebus nihili fuisse sitam arbitramur.

CAPVT XXIV.

De lege, quam Iudæis Moses scripsit. Opinio veterum quorundam de sabbato confutata. De amne Sabbatico quæ
P 3 Pli-